

Croatiae diversas quasdam Inconvenientias ea praesertim de causa, quod Noster Banus Joannes Comes Pallffy absens esset, Vice-Banus autem aequae Noster Seu Regius interea Locumtenens Petrus Comes a Keglevich sufficiente ad gerendum interea Banale munus autoritate haud polleret, nocive serpere; Et licet Vos quidem evitandarum similium inconvenientiarum ergo pro reditu mox dicti Bani demisse supplicassetis, cum tamen Eundem adhuc in Hungaria & bellicis ibidem operationibus secundum Characteris Sui militaris obligamen necessario et valde utiliter applicatum inde avocari Servitium Nostrum de praesenti neutiquam permittat.

Nos igitur, ut pro ingenito Nobis erga charum Nostrum Croatiae Regnum affectu nihilominus integre Eidem provisum esse Securi simus, benigne volumus et serio demandamus, ut supramemoratus Comes Keglevich qua Vice Banus et Regius interim Locumtenens Noster tam quoad Militaria per Consilium Nostrum Aulae Bellicum, quam itidem quoad Politicas Provinciales et Judiciales, nec non universas alias officium Banale dependenter concomitantes functiones, medio Nostrae Cancellariae Regio-Hungaricae Aulicae (a qua id, quod e re necessarium censebitur, ad Vos consveto Stylo et congruo ordine eatenus expedietur) tali omnimoda autoritate et potestate, qua Banus Noster, cujus interea personam repraesentat, in Loco gauderet, solennius et plene instruat

Quod ipsum proinde Vobis clementer significantes Paterne insimul confidimus, Vos homagiale erga nos naturalem et legitimum Regem Vestrum devotionem Vestram ac in difficillimis quibusvis temporibus constanter probatam fidem ulteriori intemerato cultu contestaturos, cum Vice-Bano Nostro bonam pro more cointelligentiam gesturos, nec non oboriundas fors quasvis indecentes confusiones efficaciter pro posse praepedituros, sicque demum Servitium Nostrum et Regni Salutem conjunctis Viribus et opera strenue promoturos esse. Vobis in reliquo gratia nostra Caesareo-Regia benigne propensi manentes. Dabantur in Civitate Nostra Viennensi, die vigesima prima mensis Novembris Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo. Regnorum Nostrorum Romani decimo nono, Hungarici vigesimo primo, Bohemici vero quarto.

Josephus m. p.

Leopoldus Comes ab Herberstein m. p.

Ad mandatum Sacratissimae Caesareae Majestatis proprium:

Joannes a Tiell m. p.

A tergo:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregiis et Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum Nostrarum, Fidelibus Nobis dilectis.

Zagrabiae.

(L. S.)